

A tibiæ summitas quatuor in se superficiales sinus obtinēs, quibus duos femoris nodos excipit. His incumbit ab anteriore parte paruum os rotūdum, sublatū, scuti breuis instar, cōmissuram eorum continens, q̄ in summo coarctetur. Fibulæ superior extremitas anteriori tibiæ parti sub insertione connectitur: iuxta malleolos autem, qua desinunt utraq̄ tibiæ ossa, ligamento nerueo, chartilaginosoq̄ inuicem colligantur. cæterum intus talo incumbit intra se ossa cōuinciens. Talus, iuxta pedis longitudinem situs, perone, hoc est fibulæ, insidet, eiq̄ firmiter coaptatus est. Cæterum tibiæ ossibus, tum ei, quod *σκαφοειδής* uocant, in anteriore ipsius parte articuli iunctura committitur. Rursus scaphoides, ubi cū talo coit, excavatū est, ut scaphæ speciem referre uideatur. E regione gibbum calles tres habet, quibus ossa *χελυκοειδής*, quæ tria sunt, inseruntur. porrò, quod cubi figuram representat, extrinsecus sitū est. coarctatū est autē scaphoedi ossi, & calci. Processum quoque ex inferiori ad priorem partem obtinet, quem plantæ os retinēdi ipsius gratia subiit. Deinde os dictum *ωσθίου*, & ipsum quinque constat ossibus. Tum deinde quinque pedis digiti habentur, ex tribus omnes internodijs, similiter ijs, qui in manu sunt, cōpositi, si magnum excipias. is enim solus duobus constat. Contrahunt autem horum iuncturas membranosa quædam ligamēta: talum & calcem ualida admodum, & quædam ex ijs rotunda, simul & neruea chartilaginosaq̄.

B

De humoribus, facultatibus, morbis, eorum differentijs, causis, ac curationibus.

Cap. 13.

Hvmores corporis ex prima generatione quatuor, cōmixti inuicē & contemperati sunt corpori. Exuperat autem alius in alio magis loco, sanguis in corde, pituita in capite, flaua bilis in iecinore, atra in liene. Cæterum duplex spiritus innati species, alius naturalis, alius animalis. Nō desunt tñ, qui & tertium hec̄ticon introducunt. Hec̄ticus igitur est spiritus, qui lapides continet. Naturalis animantia et stirpes nutrit. Animalis sentiendī, omnisq̄ motus facultatē animatis exhibet: Situs autē est in animantibus. nam his trib. animalium natura cōstat. Itaq̄ animalis in capite sedē habet: naturalis in corde: hec̄ticus in toto corpore uersatur. Nature actiones sunt, à prima generatione imprægnatio, foetusq̄ formatio: in editis, appetitus, cibi deglutitio, in uentriculo cōcoctio, digestio, in sanguinem alteratio, segregatio, nutritio, & auctio. Excernuntur autē in corpore stercus, pituita, utraq̄ bilis, urina, sudores, mucī, saliuā, & lac. Animæ uero facultates, sensus, & uoluntas. Sensus quidem sunt quinque, quibus animantia per corporis instrumenta funguntur, uisus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Instituit autē anima quædam sine corpore, ut cum ratiocinatur, uel reminiscitur. Cū corpore, ubi id ad quorūdam receptionem, uel excretionem, uel ad loca mouet. Respiratio composita quædam actio esse uidetur, partim ex arbitrio, partim sponte & naturaliter, ut in somnis facta. Sanus igitur homo est, primis, unde constat, elementis: & secundis, unde formatus est, quatuor humoribus, tum quātitate, tum qualitate mediocriter inuicem cōtempertis: solidis autē partibus, ex quibus cōpositus est, nec diuisis, nec condensatis, nec e loco suo motis: spiritibus nec intēsis nimium, ut in phreniticis, nec dissolutis, ut in lethargicis, uel in ijs, qui cordis affectu affliguntur. His enim hec̄ticus spiritus resolui uidetur. Sanus autem homo conseruandus est consuetis exercitijs, & cibis patrijs quolibet anni tempore obseruatis: copia eorum solum uitanda est, ex qua cruditates oriūtur, quæ morbos pariunt. Precauēdi morbi sunt, uel qui iam imminēt, uel futuri sunt. Si ex plenitudine proueniant, inedia, uel purgatione, uel uenæ incisione curandi sunt. Si ex labore & indigētia, quieti corpus dare & nutrire conuenit. Verū uniuersi morbi, ex Hippocratis sententia, partim extrinsecus ex aere nos ambiente, partim intrinsecus ex esu, potioneq̄ proficiscunt: à quib. humorū aliquis uel abūdat, uel deficit, uel qualitatē cōmutat. Ab his etiā spiritus insiti nūc intēduntur nimis, nūc plus æquo relaxātur. Solida uero corpora foris et intrinsecus multas causas habēt plures affectus sustinendi. Erasistratus autē & Asclepiades in uniuersum unā omni morbo causam tribuūt: Hic sanguinis in arterias coincidētia: ille corporeæ molis in raritate extensionē. Plenitudinis morbuū facientis notæ sunt uasorū cōuexio, faciei rubor, totius corporis tumor, & pulsuū magnitudo cū robore. Indigentia signa, collapsus tumoris, gracilitas in facie, & exiguus pulsus cū imbecillitate. Itaq̄ febrim ueteres ipsam per se affectum arbitrantur: Erasistratus, & recentiorū nōnulli *ὑπὸ γίννημα*. i. accessoriū, seu cōsectarium affectum, Febris igitur est natiui caloris in ardentiorē conuersio, eo, q̄ intro aduersus perspirare prohibeat. Indicia febricitantiū colligimus ex calore intēso & intolerabili, tū in accessionis principio ex languido, inæquali, & crebro pulsuū motu: In statu, ex uehementissimo motu elato, & ueloci admodū. Iuniores calorem naturali magis ardentē, mordacem, acrem, & constantē, cum pulsuū frequentia & duritie, ex alto ueniētē, febrem esse definiūt. Sunt autē duę eius species omniū sentētia, continua, & intermittens. Continua est, quę non ad integritatem prius, q̄ morbus ex toto solutus sit, uenit. Intermittentis rursus sex species inuenimus apud ueteres, quotidianam, tertianam, quartanam, quintanā, septimanā, & eam, quæ à nono die nomē habet. Quotidiana est, quæ singulis dieb. aut noctibus accessionē uel decessionē facit. Tertiana unū diem præstat integrum, tertio redit. Quartana duos dies intermittit, deinde reuertitur: Quintana tres: Septimana quinque: Quæ à nono die uocata est gręcis *ὑνατάα*, septē. Nam semitertiana, modo inter continuas, modo inter intermittentes ponitur. Iam uero reliquorū morborum duo genera sunt, uel cum febris, uel sine febris.

llagogici.

k bus.

bus. Quidē. n. acuti, quidā longi sunt. Acuti quidē hi, Phrenitis, Febris ardēs, cui nomē est caufos, E Synāche. i. Angina, Pleuritis, Peripneumonia, Cardiacus affectus, Regius morbus, Cholera, Voluulus, Colicus dolor, Apoplexia, Tetanus, Opisthotonus, Emprosthotonus. Acuti igitur à sanguine ferē & flava bile, in nonnullis corporis partibus, quas ij male habent humores, superfluis, & in deterius uersis constituuntur. Longi à pituita & atra bile, similiter uel copiosioribus, quam naturā modus exigit, uel in acerrimam qualitatem immutatis. Qui iam ex copia laborant, uictus ratione, uel inedia, uel purgatione, uel uenæ incisione curandi sunt. Qui ex abstinentia in morbum incidere, alimentis restituere cōuenit. Quibus incoctio & humorum acrimonia morbi causam fecerunt, ijs fomentis & cataplasmatibus concoctio paranda est. Acrīa contemperanda sunt, & cibis boni succi atq; humectantibus uti oportet. Ceterū quatuor in toto morbo, particularibusq; accessionibus tempora auxilijs afferēdis dicata sunt, Inītiū, incrementum, uigor, & inclinatio. Principio totius morbi inedia triduana conuenit, quibus & in totum abstinere triduo conducit. Venæ sectionem in initio recentiores ad tertium usq; diem statuunt: Veteres etiam post tertium diem præcipiunt, si uires suppetant, & morbus postulet. Nutrimenti tēpus à triduo iuniores: antiqui non omnibus, sed ijs, qui copia laborant, tum iunioribus, tum seniorib. instituunt. Pueros statim morbo inuadente nutriunt. Præterea illos, quibus huiusmodi cōsuetudo est uel loci, uel aeris F circūflui gratia. Ante cibum post tridū primum perfusiones capitis & præcordiorū ex usu sunt: sequentibus diebus cataplasmata & clysteres. Perfusiones igitur in præcordijs calidas semper assumere oportet, & simplices, ex cumini uel xylanethi decoctio: At caput, calefaciētes quidem in lethargo, & in omni graui sopore: refrigerantes autem in phrenitide, & quauis acuta febre conueniunt. Cataplasmata quædam solo melle & oleo conficiuntur, uocanturq; μαλακτικά, quasi interpreteris emollientia. Quædam ex aqua, cui oleum sit adiectum, fiunt, quæ ὀμνηλύσιυ greci nominant. Alia his inspergunt, ueluti pollen, lini semē, & fœnugrecū. Clysteres hydrelæo, melle, sale & nitro modico præparantur. Tēpus eorum ante cibū est, dum accessiones remittuntur & inclināt. In continuis morbis diluculum. Phrenitis est mētis alienatio. Notę sunt. insania uehemēs, temeraria manuum gesticulatio, floccorum & festucarū collectio, & febris acuta. Causam habet magna ex parte bilē. Cōstituitur in cerebro, uel eius mēbranis quas μνηχας appellāt, uel, ut quidā aiunt, in septo trāuerso. Curatio hæc cōuenit. Inītiū, si præsciū fueris, uenæ incisio, cucurbitulæ conueniūt, subtractio, & clyster, & abstinentia cōueniēs: instāte aut morbo perfusiones soporiferæ, inunctiones, quib. somnus accersitur, & humectantes cibi conducūt. Causos febris spēs, ab Hippocrate quidē inter acutos, ut quartana inter longos morbos refert, à recētiōribus non itē. Oritur ex bile nō nimis sicca, circa uenas, quæ ad iecur sunt. Curat in principio sanguinis missione: in statu, frigida, tum aliorū, quæ refrigerādi uim obtinēt, potio confert, uel epithema, cuiusmodi ex feruētī hydrelæo præparatur. Angina est circa ceruicem inflāmatio. Eius spēm unam Greci κυναγχην appellant, quæ in interiore ipsius parte orta subito strangulat: Alteram συνάγχην. hæc in exteriorem partē incumbit, eoq; minus strāgulat, minusq; periculosa est. Vterq; affectus uel à bile, uel à pituita falsa nascitur, idq; nonnunquam cum febre acuta, nonnunquam sine febre. Remedium & generosissimum & præsentissimum est sanguinis statim in principio missio: deinde medicamēta pituitam per os educētia, & cerata foris imposita. Asclepiades ultimum auxiliū posuit, de quibus summus metus est, ne strangulentur, superiorem gutturis partem incidere. Pleuritis lateris ab interiore parte inflāmatio est. Huic febris acuta, dolor uehemens, & tussis accedit. à bile potissimum cōstituitur. Præsidio est in initio adhibita uenæ incisio: deinde cataplasmata & sicca fomenta, nempe milij & salis: postremo medicamēta intrinsecus purgantia, quæ πλυνετικά nominant. Cauenda uero in his sunt uentris profluvia. Peripneumonia, nonnullis auctoribus inflāmatio grauis est circa pulmonem, idq; grauitate ostenditur. Quibusdam pulmo inflāmatōnem pati non posse uidetur, sed uicina eius loca, cum in dispositione eiusmodi sunt, ea ut ita nominetur, H faciunt. Habet autem hic morbus febrem acutam comitem. Eadem ipsius causa, quæ pleuritidē concitat, secundum alios tamen pituita. Remedium ferē huic cum superiore malo commune est. Cordis affectus est, quem Greci καρδιαχόν uocant, non quod in corde affectus sit, sed quoniam stomachum ueteres cor appellabant, quo in febre acuta resolutō, agrotos immodice digeri contingit. Accidit ferē ex immodica abstinentia, uel parum tempestiua uenarum sectione, uel cū aliquid præter rationem corpori adimitur. Quare alimento, quod facile distribui queat, & recalcascere, succurrēdum est: quemadmodum ex uino ac niue: cibo, qui ex ualentiore materia est, & stomachum corroborare potest. Est, cum uisceribus inflāmatōis, potissimum iecinore, hic morbus eueniat: cum è cōtrario, ablatione & cataplasmatibus inflāmatōis dicatis opus est. Arquatus seu regius morbus, quem ικτερον Greci nominant, est bilis in summam cutem redundantia. Interim cū febre acuta oboritur, interim sine illa, cum interiorū adustione, & stomachi uitio. Si præcordia inflāmantur, cataplasmata primum desiderant: si copia laborāt, uenę sectionem: sin minus, medicamenta, quæ bilē euacuāt, aut uentris ductione et intestinorū, aut per urinas, aut per sudores, aut per nares. Cholera duplex est secundum Hippocratem: Altera humida, in qua, uti omnes norūt, uehemens est excretio, bilis supra infraq; erumpit, intestina grauiter torquentur. Accedunt conuulsiones,

- A**uulsiones, saepe etiã crurum suræ contrahuntur. Remedio contractionibus sunt perfusiones calidæ: in ijs, quæ contrahunt, balneũ post expurgationẽ, tum alimẽta, quæ ex facili disponunt, digerunturq; & stomachũ adiuuãt. Alterã, siccã choleram uocat Hippocrates, ab eadẽ proueniẽtẽ causa, ac circa eadẽ consistentẽ, at citra uentris fluorẽ & uomitum. Ideoq; remissionẽ præcedentẽ & per cataplasmata requirit, nec cibi ingestione, sed contra inedia opus est. Voluulus, & colicus dolor, intestinorum inflammationes sunt, quorum alter tenuioris, alter plenioris. Quare deiectiones includuntur, & flatus intestinũ inuoluti, eo, qd exitum non habent, dolores uehemẽtes & tormenta cõcitant. Voluulus autẽ dispõne & accidentibus acutior, magisq; periculosus est. Alter utro autẽ morbo extreme laborantibus uomitus concitantur uoluulum patientium. Auxiliũ est uoluuli maxime sanguinis missio per inĩtium, plerunq; abstinentia, & cataplasmata mitigantia, & inflammationem discutientia. Efficacius iuuant medicamenta, quæ κωλικά nominant, intro per sedẽ immissa. nam dolores auferunt, somnum conciliant, & aluum mouent. Apoplexia ex humorum crassorum copia generatur, qui capitis uasa, unde corpori sentiendi mouendiq; facultas aduenit, obstruunt. Quamobrem, qui huic malo sunt obnoxij, sensu, uoce, & motu priuantur. Hippocrates de hoc uitio scribit, Apoplexiam, inquit, ualidam soluere non licet, imbecillum haud facile.
- B** Sanguis mittendus statim iam oppressis, modo & ætas consentiat, & uires sustineant. Tetanus, Opisthotonus, & Emprosthotonus, neruorum morbi existunt. uerum utraq; species est conuulsionis neruorum, qui à capite descendentes, corpori motum distribuunt. Nam, si uiscosi humores eos obstruant, affectio talis oritur. Quæ si scapulis caput annectat, quo minus possit annuere, ὀπίσθιον: cum mentum pectori contrahit, ut renuere nequeas, ἐμπροσθιον: cum rectã, & immobilem ceruicem tendit, τέτανον græci appellant. Sanat uenæ sectio, si copia subest: ut uidere licet apud Hippocratem in illo, qui prolapsus humi uulnus in caput acceperat. Medet enim eis & frigide copiosa infusio, si estas sit, præsertim si non gracilis, sed quadratus existat æger. nam caloris reuocationem molitur. Multi sanè ceratis modice recalcifiantibus & relaxantibus utunt, ad hæc inunctionibus similibus, necnon lanis oleo imbutis atq; impositis, & fomentis & cataplasmatibus calidis. Longi morbi interioribus accidunt hi, cephalæa, morbus comitialis, uertigines, oculorũ caligationes, insanã, melancholia, lethargus, distillatio, raucitas, grauedo, sanguinis eruptio, suppuratio in thorace, tabes, abscessus in medio latere, abscessus in clauiculis, iecinoris affectus, tenesmus, dysenteria, lumbrici lati, teretesq; ascarides, coxarũ dolor, articularis morbus, podagra: elephantia ad exteriores partes spectare uidetur. Ex lōgis morbis cephalæa, internus capitis dolor est, qui in circuitu interdum affligit à pituita nascens. interim unam capitis partem infestat: tunc ἐπὶ τοῦ κρανίου nominãt. Auxiliũ utriusq; est sanguinis detractio, uel cucurbitulæ occipitio impositæ, eductio pituitæ per os, per aluũ purgatio, & epithemata, quæ inter cataplasmata, uel malagmata, uel epichrismata scribuntur: postremo causa eius sinapismo resiccatur. Morbus comitialis, quem & sacrum uocant, circa neruorum, qui à capite descendentes sensum motumq; uniuerso corpori distribuunt, originem consistit. Causam eius Plato & Hippocrates pituitã & bilem atrã indicant. Homo concidit, qui hoc malo detinetur, quoniam ei sentiendi mouendiq; meatus obturantur, spumat ijs os ob humorum commotionem, quæ à neruorum conuulsione prouenit. Quæ de causa interim urina sine uoluntate prorumpit. Præsidium affert pueris impuberibus natura circa pubertatem efflorescens, & morbum humoribus natiuo calore exiccatis terminat. Qui pubertatem exceßerunt, ægre aut nunq; sanãtur. Caligines oculis offusæ & Vertigines, cognata sunt uirtia morbo comitali, ab eisdemq; causis prodeunt, atq; easdem sedes occupant. Hoc tamẽ intercedit discriminis. qd illæ in superficie corporis, non intus accidunt, ob quod facilius, q̃ hic, curãtur alui ductione, præsertim per hieram, administrata, deinde apophlegmatismis, & uomitibus per circuitum partim à cœna, partim ieiunis adhuc excitatis. Omnium maxime ueratro succurritur. Mentis alienatio duplici specie insigni cõstat. hanc Græci μανίαν. i. insaniam: illam μελαγχολίαν. i. atrã bilem appellant. Complures uero & harum existunt differentiæ, nominum adhuc indigæ. Constituitur itaq; mentis alienatio circa totum caput. Causa insaniam flaua bilis est. Ob hoc, qui tali uitio laborant, tumultuosi, præcipites, manu prompti, contumeliosiq; fiunt. Melancholia nascitur ex atra bile, humore frigido & tenebroso. Vnde melancholici tenebriones ac lucifugæ, tristesq; apparent, de omnibus suspiciosi, hominum consuetudinẽ oderunt, solitudinibus gaudent, quem admodum Bellorophontes à Poeta describitur.
- Qui miser in campis mœrens errabat Aleis,
Ipse suum cor edens, hominum uestigia uitans.
- Medetur per uentrem purgatio, & maxime, quæ per uomitũ excitatur: adhuc his magis utrunq; ueratrũ soluit. Lethargus morbus est phrenitidĩ cõtrarius: Est. n. profunda in somnum delatio, & inexcitabilis. Huic uitio obnoxij omnium, quæ dicuntur, obliuiscunt, atq; hæc in febrĩ ipsos comitantur. Locus igitur affectionis, caput est: nam in membranis cerebri constituitur. Causa ipsius pituita est, humor frigidus, frigiditate ac humiditate somnum inducens. Curatur conuenienter contrario modo, q̃ phrenitis. Fricantur superiores corporis partes acribus quibusdam & pungentibus. tum ea adhibentur, quæ odore excitant, mouentq;. Cibi similiter fundentes, secantesq; pituitam:

perfusiones capiti admoventur, quæ exiccandi uim obtinent, & cataplasmata aliquando præcor
 dijs. Crebro nanq̄ hæc inflâmatione uexata, neruorum quoq̄ in capite principium constringūt,
 grauantiq̄. Humor à capite oppleto destillat interdū in nares, interdū in fauces, aliàs in pulmonē.
 Atq̄ has tres spēs Græci νόσον βαρύχου, & κατάρρευ, siue κατασαγμόν. i. grauedinem, raucitatē, &
 destillationem nomināt. Grauedini itaq̄ facile et breui succurritur, deinde raucitati, modico sanē
 & calido uictu, qui frumentacei generis existat. Destillatio in thoracē non ex facili curat̄, imò sæ
 pe immedicabilis est. Nam ab ea acri & salsa partib. exelis, sanguinis eductio sequitur. cuius tres
 causæ referunt̄. Vel enim uasa erosionem passa sunt, ideoq̄ sanguis in asperā arteriam descendēs
 per os reijciť: Vel rupta sunt uiolenter: Vel ob imbecillitatē non continēt, sed ad aperta oscula eū
 transmittunt. Differunt sanguinis excretio, & reiectio. Hæc etenim uel à pulmone, uel aspera ar-
 teria prouenit: Illa à stomacho, & sanguis apparet nigrior. Qui ex thorace reijciť, flauus magis &
 spumans: deinde hic cum tussē, alter sine illa spuiť. Sæpenumero etiā à capite per palati foramina
 in os deferť sanguis, præbetq̄ eductionis falsam imaginē. Loci, ex quib. pprie sanguis educitur,
 tres sunt. Primus fauces, unde minore cum periculo sanguis reijcitur, faciliusq̄ sistitur. Secundus
 aspera arteria, atq̄ hic morbus curationē difficulter accipit, plenusq̄ periculi est. Tertius pulmo,
 ubi minus omnib. præsidij, plus periculi affectus habet. Comitaf. n. maxime suppuratio & tabes, F
 ut ait Hippocrates, cuius uerba hæc sunt, Sanguinis spuitionem puris spuitio, huius spuitionē ta-
 bes, tabem mors sequitur. Nonnulli etiā ex latere sanguinem educi arbitranť. At hoc ambigū
 est. Salus uitij huius est, sanguinem reprimere, uel uenę sectione aliò ducentē, idq̄ potissimū in iu-
 uenibus, uel posca sistētem, uel inædia copiā eius imminuētē, uel simplici quodā medicamēto, ut
 acacia, hypocystide, balauftio, plantaginis succo, atq̄ id genus alijs. Suppurationis præsidium ue-
 tus sunt ferramēta candentia, quæ thoracem exiccēt, fluorēq̄ in exteriores partes dirigant. Iunio-
 res consueuerūt mitigare cataplasmatib., & delingēdis medicaminibus, deinde cito repurgare me-
 dicamētis per os assumptis prius, q̄ corpus inficiat̄. Inscribunt̄ aut̄ proprie medicamēta ad puru-
 lentos. Quæ suppurationes medio latere constituunt̄, resectæ proprie ad linamentū humoris ex-
 cretionē habēt. quæ si uniuersim fiat, hominē interimit. Accidunt uero suppurationes quoq̄ sub
 transuerso septo, quę se intus occultātes abscessus nominant̄, nō ex equo periculosi, nec curatio-
 ni resistētes, plerūq̄ intus rupti hac excernunt̄, uel partibus exteriorib. diuisis. Diocles memorat
 etiā thoracis suppurationē erūpentes interim in arteriā, quę ad renes ac uesicā tendit, simul cū uri-
 nis excerni. Tabes, proprie dicit̄ in pulmone uel in thorace corporis ob suppurationes colliqua-
 tio. difficilis eius salus est, aut nulla. Lactis usus potui datur, dum cōsistit: loca sicciora conueniūt. G
 Superior Ægyptus & Libya maxime huic malo medent̄. Hippocrates tabis cuiusdā coxēdicum
 meminit, *ιχιαδική* uocans, qua in suppurationibus circa os sacrum accidentibus corpora colli-
 quescūt. Similiter alterius renū, cui *νεφροπικη* nomē dedit. Porro iecinoris & lienis inflâmationes,
 si in pus uertunt̄, & ipsæ mediocriter corpus consumūt. At hæc suppurationes multo citius curan-
 tur, minusq̄ periculosæ sunt, q̄ quæ pulmonem affligunt. Verum, si minus in suppurationes mu-
 tantur inflâmationes, sed crudæ & in scirrhī natura permanferint, malum habitū corpori afferen-
 tes, tandē aquam inter cutem afferunt. Quatenus aut̄ simplices extiterint, in iecinore, febres con-
 tinuas afferūt. In liene, quartanas magna ex parte. nam huius speciei causa bilis atra est, quę in lie-
 ne tanquā uase cōtinetur. Vnde quartanæ auxiliū est, ante rigorē summas partes propter humo-
 ris frigiditatē fomentis tueri. In intermissionib. eductio per uomitū. Aquæ inter cutem, quā Græ-
 ci *υδροπια* uocāt, tres species sunt neotericorū sentētia. Primā *ασκίτην*, Secundā *τυμπανίτην*, Ter-
 tiam *υποαεριδίον* nomināt. Hippocrates duas statuit. Nam *τυμπανίτης* & *ασκίτης* eiusdē speciei
 sunt, qm̄ in utraq̄ nutrimentum in aquā redactum, inter intestina & peritonæum transfunditur.
 Sed in hac aquæ plus, q̄ spiritus, in unum intus contrahitur: in illa copiosior spiritus, minor humi-
 ditas est: in reliqua solidæ totius corporis partes in aquæ naturam transeūt. hanc & Hippocrates H
 immedicabilem esse scribit, uocatur autē & *λοβνοφλεγματία*. Causa uero cuiusq̄ hydropis est, au-
 ctore Erasistrato, inflâmatio iecinoris uel lienis, tēporis spatio in scirrhū indurata. Nam, cū ali-
 menti in his uisceribus cōfectionem, atq̄ in totū corpus digestionē impediāt, in aquæ substantiā
 ipsum cōmutat, quod ita refrigeratū, inter intestina & peritonæū trāsmittitur. Hoc quoq̄ malum
 Hippocrati salutis spem nullam habet. Quod si uel absq̄ inflâmatione hydrops, præsertim *ανα-
 σαρη* eueniat, calore genuino refrigerato, nec alimentum in uenis amplius edomante, sanguis ca-
 loris inops aquæ naturam induit, & ex uenis, ceu oleum ex utribus, defluit. Quousque enim san-
 guis exactus in uenis est, ab earum corpore continetur. Vbi uero in eo pingue exuperauerit, ut
 in obesib., sanguis effusus adipem generat, aut in aquam uersus, aut, dum non continetur, diffluit
 in locum, qui intestina & interiorem abdominis membranam interiacet, aut per uniuersum cor-
 pus effunditur. Tolluntur duo aliij hydropes uel malagmatis exiccantibus, uel medicamentis uri-
 nas cientibus, uel hypelatis purgandi facultate præditis. Renes affecti dolores magnos pariunt.
 Locus autem male habens non ex facili potest discerni, quod exterioribus partibus cohæreat, la-
 xiusq̄ intestinum, *κώλον* appellant, ipsis incumbat. Quare, cum offenduntur, uel externarum par-
 tium inflâmatio, uel coli affectio esse apparet. Non raro eodem affecto intestino renes consen-
 tientes

- A** tientes dolēt. Affectus autem, qui in eis cōsistunt, hi sunt, inflāmatio, exulceratio, calculi, lāguor. Cum inflāmatio renes exercet, nihil per urinam innotescit, sed dolores excitantur potius, non exacte locum primum dolentem ostendētes, ob eam, quam dixi, rationem, uerum intolerabiles: quippe qui nec cataplasmatibus cedant, nec imminutione per cucurbitulas facta remittantur. Sola medicamēta nephritica intus accepta præsidiō sunt, si exulceratio eos infestat, interdum purulenta per urinas excernuntur, interdum cruenta. Cū inest calculus, aliquando cruenta, partibus uide licet ab eo exasperatis, eijciuntur. aliquando arenulæ in urina subsident, si friabilis sit lapis, uel etiam recēs modo nascatur. In languore sanguinolenta urina redditur, quasi nondum segregata. Vesicæ affectus hi sunt, languor, furfuratio, calculus, exulceratio, circa colem maxime. His accedit urinæ suppressio, eiusq̄ difficultas, & stillicidium. Ex his uero, alijsq̄ causis proficiscuntur. Græci prius uitiū *ιχθυία*, alterū *δυσουρία*, tertium *σπυγγία* appellant. Inflammationis notæ sunt circa pubem dolores, urinæ excernendæ difficultas. Soluitur cataplasmatibus, perfusionibus, & à cibo abstinentia. Quod si excedat, sanguinem quoq̄ per uenam mittere conuenit. Exulcerationis indicia sunt, sanguinolenta excretio interim, interim purulenta, nonnunq̄ mucosa, & circa pubem dolores. Auxiliantur epithemata, maximeq̄ dulcis boniq̄ succi alimentum, ad hæc quæ intus adhibentur aduersus ulcerationem uesicæ, & Bylini medicamentum. Languorē uesicę inuinit & urina, cum citra mingentis uoluntatem effluit. Difficilem morbus curationem aut nullā recipit. Lapidem in uesica esse, digiti in rectum intestinum per sedē immissi exquisitissime deprehendūt, sed ita, ut index ad medium in summo reflectatur, atq̄ in priorem uesicę partem, ubi & lapidem innatantem contingunt, referuntq̄ in uesicæ ceruicem. Calculorū differentia plures sunt, quidam enim illorum adnati sunt, alijs possunt auferri. Rursus aliqui facile frangi possunt, nonnulli nō possunt. Itaq̄ magna ex parte adnati difficulter curant. Ex alijs aut, qui facile frangunt, dissoluentibus medicamētis excerni possunt. Duros & dissolubiles chirurgi tollunt, carunculā diuidentes uesicę ceruicis. *ιχθυία* summa est urinarum retentio. *σπυγγία* urinę stillicidium. *δυσουρία* urinę difficultas. Atq̄ hæc multis è causis proueniunt, aliquando calculo uesicæ ceruicis impacto, ac meatū in totū obstruente, uel si intus quippiā relictum sit, aut uesicæ innatet. Urinę retentio, propter uesicę inflāmationem nimiam, aut repletionē immodicam accidit, uesica scilicet ad excretionem imbecilli, aut ceruicē uehementer ex urinarū acrimonia per morsum contracta, aut ex grumis sanguinis iter occludentibus, aut ex urinarum crassitie. Hæc medicamentis resoluentibus oportet discutere. Plenitudinem uacuare ferramēto, quod Erasistratus *καθετηρα* nominat, Romanorum literæ, s, simili. Stomachus uentris & intestinorum principiu est, siue naturaliter, siue preter naturam afficiatur. Stomachi igitur uitia sunt, inflāmatio, exulceratio, sanguiniseductio, inflatio, humiditas flaccida, cibi fastidium, ingestorum ciborum incontinentia. Inflammationem ergo notat dolor incubens. Succurritur perfusionibus & cataplasmatibus, alimentis frumentarijs, & quæ facile possint digeri. Exulcerationē in stomacho notant proprie putredo, mordicatio, deglutienti difficultas. Auxiliatur his extrinsecus imposita, cibiq̄ probe succulenti. Sanguinis è stomachoeductio ipsdem medicamentis sistitur, quibus ex thorace: eiusdem reiectio, ips, quæ superius adnotata sunt. Inflationem dissolunt discutientia, & quæ rictus mouent. Humiditatem, siccorum esus, & absinthij potio tollunt. Cibi fastidium aut ex pituita adiacente oritur, ideoq̄ exiccare illam ex usu est: aut à bile supernatante, unde stomachus purgandus est: aut naturæ impotentia, & functio appetitoria reddenda. Nam oculi quoq̄ propter spiritus uisoriij imbecillitatem hallucinantur. Aduersum uictus fastidium huiusmodi adhibenda sunt, quæ appetitum prouocent, suppeditentq̄. Stomachus aut non continet accepta propter humiditatem, maxime uero ob impotentiam ac imbecillitatem, sicut dimissa manus non continet, quæ attingit. Expedi igitur corroborare, fortioresq̄ ipsum reddere, tum uniuersum corpus reficere. Ventrem multa uitia stomacho cōmunia infestant, præterq̄ appetentiæ prauitas. Sed concoctionis male obita functio uentriculo propria tribuitur, ut quæ potissimum in eo administratur: quem affectum profluuium sequitur. Reliqua igitur pari modo cum ips, quæ stomachum cruciant, curabis. Fluxus exacte disquirendus est, cur alimento incocto accidat: & si inflāmatio eam pepererit, cataplasmatibus & perfusionibus occurratur. Si pituita humiditatis illius flaccidæ parens, quam Græci *πλάσθου* appellant, uictus ratione exiccanda est. Si bilis exuperet, eam purgare utile est. Si ex imbecillitate prouenit, ut infirmis, robur corpori faciendum est. Si ab ipsa qualitate eorum, quæ concoctu difficilia assumpta sunt, uel quæ prompte corrumpuntur, uel quid alienum habent, post curationē, talia oportet interdicere. Dysenteria. i. intestinorum tormina, est affectus intestinorū: generatur in uētris profluuiō, humoribus corruptis immorātibus, erodentibus, & exulcerātibus intestina. Fit etiam sine fluxu, primum ab humore acri intestina intus exedenti. Est, cum in morbi decessione *δυσουρία* cōtingat, quam curari Hippocrates prohibet, ne suppressio intestini alium quempiā morbum maiorem accersat. Illam, quæ ex fluore nata est, reprimentibus & sistentibus fluorem medicatur: Aliam, cuius origo ex acris cuiusdam humoris rosione est, dulcorantibus, & quæ mitigare possint, abluendo ipsa exulcerata similibus. Diuturno tamen morbo, depasta ulceris ramenta & putrida solent deijci, tum profunt immissi pastilli ex sandaracha, calce, auripigmento,

atque id genus alijs compositi. Vbi uero non fit ramentosa ulceris deiectione, non his utendum est, E
 quoniam conuulsionem faciunt. Quod si talis intestinorum exulceratio in superiore quoque parte con-
 sistat, neque sic pastillorum usus est. Non enim statim ad affectos locos perueniunt. nam, ubi sanos
 contingunt, perniciem eis faciunt, Verum medicamentis utendum est, quae superioribus locis con-
 ueniunt, quorumque titulus est aduersus dysenteriam inditus. Ex dysenteria, intestinorum lauitas
 oritur, ubi ex magna ulceratione multae cicatrices intestinorum oboriuntur, propter quas cibum non
 retinet: unde ex intestinorum leuitate uocata est graecis λευπερία. Quamobrem talis est insanabilis.
 cicatrices namque non sanescunt. Si uero ex intestini imbecillitate contigerit, tum quoque grauis est,
 nec ex facili tollitur. Remedium autem erit, si mollioris robur uniuerso corpori ac intestinorum ad-
 iungere. Caterum causa etiam morbi pituita est, intestinorum lubricitatem illuendo generans. Succur-
 rit inedia resiccando, & cibi pituitae contrarij. Tenesmus proprie morbus est recti intestini. Hoc
 enim inflammatione laborans, crebrae, inanesque egerendi cupiditates & impetus exercent. Pro-
 sunt ei fomenta parti inferiori adhibita, stringentia, tum alimentum ex frumetacea materia, & re-
 primens. Quod si perseveret, nihilque immineatur, enematis ex pituitae cremore, & hircina adi-
 pe utendum est. Lumbricorum, qui intestina excruciant, triplex est species. Quidam enim tere-
 tes, palmi longitudine, uel etiam maiore, ad stomachum usque proserpunt. Quidam breues, & minu- F
 sculis uermibus similes, ἀσκαρίδες Graecis appellantur. circa rectum uero intestinum generantur non
 nulli lati & oblongi adeo, ut in totum exporrigantur intestinum: quos Graeci uocant κελίας simul
 & τρυφίαι, quod similes fascijs sint. Teretes itaque ad remedia faciles: maxime autem in pueris hi: asca-
 rides in his, qui sub pubertate sunt, abundant: aegre praesidijs cedunt, & excernunt, nisi cibis acriori-
 bus, & medicamentis dia picras compositis, oleoque cum uino, maxima ex parte iniectis. Coxarum
 dolores, articulorum uitia, & podagra sola inter se magnitudine differunt: ceterum causis & lo-
 cis, qui affectum primum sentiunt, iidem constant. A pituita namque plerumque fiunt: circa neruos con-
 sistunt, quibus articuli conseruntur, motumque recipiunt. At coxae dolor, quem Graeci ἰχιάδα no-
 minant, in ipsius articulo ortus, ad talos usque non raro extenditur. Praesidio erit sanguis ex talo
 missus, cucurbitulae coxis admotae, clysteres acres, quique intestinorum tormina quodammodo fa-
 ciunt. Et foris, cataplasmata acopa, & malagmata adhibita profunt. Podagra solos pedes affligit.
 in statu quidem febrilis dolor intenditur, eoque refrigerantibus opus est. In declinatione torpor cum
 frigore hominem occupat, ob quod calefacientia conducunt. Articulorum uitia, praedictis similes
 affectus sunt, circa articulos omnes consistentia: medicamenta curatoria, mitigantia ceromata, & ui- G
 tius rationem aptam desiderant. Morbus, quem Graeci ἐλεφαντίασιμ uocant, ab elephanti simili-
 tudine nomen sortitus est. Nam, qui hoc uitio laborant, cutem crassam, duram, elephantorum modo
 asperatam habent. Originem mali excitat pituita crassa, & atra bilis, uel mucosa, maxime dissemi-
 nata. Hi enim humores ferinum ipsum denunciant. Quare solum ueratrum siue nigrum, siue album
 praesentaneum elephantiasis est remedium. Impetiginis duae species sunt, quae cutem molestant.
 Vna tolerabilis, mitiorque est: Altera effera, quae difficilius tollitur. Squamulae in his ex cute absc-
 dunt, sub quibus locus rubicundior, fereque exulceratus apparet. Gignitur affectus a pituita salsa,
 & flaua bile: unde, ceu in salugine uasis fictilibus, ex cute secedunt squamae. Succurritur medica-
 mentis pituitam mouentibus, & quae extrinsecus corpori illinuntur. Lepra quoque cutis uitium est,
 sed magis subalbidum, asperiusque apparet. Ea uero asperitas est, ueluti psudraciorum erumpenti-
 um. Pfora uero, id est scabies, exulcerata magis est. Pituita salsa utrunque malum proprie producit.
 Medicamenta pituita cientia, tum quae extrinsecus illinunt, quibus ad lepram & scabiem titulus est,
 iidem succurrunt. Vitiligo, quam ἄλφου uocant, duas habet species, albam, & nigram. Haec ab atra
 bile generatur, ob quod magna ex parte medicamina melancholiae dicata conueniunt: Alba a pi-
 tuita non salsa. Leuce habet quiddam simile uertiligini albae, sed magis colore terram albissimam
 refert. a lepra uariatur, quod lenior hic cutis, minusque aspera, quam in illa sit. Omnia huiusmodi cu- H
 rantur medicamenta pituitae trahenda idonea, tum smegmata foris adhibita.

De curationis per medicamenta diuisione. Cap. 14.

Medicina, quam Graeci φαρμακείαν uocant, duplex est. Prima interiores morbos curat: qua
 potissimum uictus ratione sanans utitur: Altera exteriores, citraque illam manu nihil peragi-
 tur. Medicaminum ad interiora pertinentium species duodecim existunt. Quaedam cephalica, quasi
 dicas capiti dicata medicamina: quaedam stomatica, id est oris uitij accommodata, dicuntur. Alia con-
 coquunt: alia ad tussim inscribuntur. Alia anodyna, quae dolorem leuant: alia alexipharmaca sunt: alia
 purgant. Nonnulla proprie ad iecur inscribuntur: sic ad lienem: ad renes affectos. Sunt, quae aduersus
 uesicae calculos & ulcera nomen habent: similiter ad uulua. Iam uero stomatica sunt, quae ad gin-
 giuas cruentas, putridas, erosas, & dentes faciunt. Eodem referuntur, quae aphthas & crustas, tum quae
 uiam descendente sanant. Quae concoquunt, partim ad stomachi uel uentriculi imbecillitatem
 conducunt, partim ad horum inflationem, quaedam ad sanguinis reiectionem e pectore. Quaedam ad
 pleuriticos uel peripneumonicos: alia ad tabidos: alia ad asthmaticos, id est suspiriosos, uel eos, qui
 non nisi recta ceruice spiritum trahunt, ἀρθροπνοιοὶ uocantur. Aliqua ex his asperitatem arterie, &
 uocis abscissionem auferunt. Porro anodyna nunc renum affectus sedant, nunc uentris profluvia.
 alias

A aliàs intestinorum tormina, aliàs plenioris, nempe coli, tenuiorisq; intestini, id est ilei mala: communiter omnia quemuis dolorem mitigāt, extinguuntq;. Alexipharmaca simplicia, alia ad aliud uenenum usurpamus: Theriace aduersus omnia & prius & post sumitur. Inter purgātia quaedam per superiores corporis partes agunt, quemadmodum, quæ ueratro constant, uomitumq; cientia omnia. Per inferiores, quæ scāmonia, aloë, elaterio, colocynthide, euphorbio, cocco gnidio, atq; his similibus. Tertio ordine ab his ponantur, quæ lumbricos latos repellūt: cuiusmodi medicamētum est, quod cerui cornu, menta, & pipere preparatur. Est & quarta species caput tantum per os atq; nares purgantium, quæ in capitis, oculorumq; affectibus proprie sumuntur. Ad hæc quæ in arquato crebro in usu sunt. Conuenit autem per superiora purgatio morbis longis demoliendis. Tempus huius est, cum morbi intermittunt. Inferiori parte adhibita, acutis, ut pleuritidi & peripneumoniæ. Tempus uero uniuersæ est, particularium accessionum remissio. Exteriorum remedia undecim species continent, alia discutiunt, alia concoquunt, alia cruentis statim imponuntur, alia pus mouent, alia repurgant, alia implent, alia reprimunt, alia cicatricem inducunt, alia oculis, alia uniuerso corpori adhibentur, alia adurunt, erysipelatis, herpetis, carbunculis idonea. Alia iunt, quæ illinuntur, acopa, & excalfaciētia, quæ ad neruorum resolutiones faciunt, articulorum

B morbos, podagras, tetanos, opisthotonos, omnemq; neruorum morbum. Alia pustulas summa cute orientes, leucen, althum, impetiginem, & lepram abstergunt. Quæ digerunt, & concoquūt, phymatis, & cuiuslibet id genus abscessui auxilio sunt. Digerentia sunt omnia, quæ constant sale, & quæcunq; etiam nitro, ut Ctesiphontis compositio testatur. Concoquentia, resina, galbano, ammoniaco thymiamate. Quæ cruentis imponuntur pharmaca, fusci coloris, ad recentia corporis uulnera ualent. Quæ proprie uiridia & nigra sunt, ut barbarum, capitis mala, & canum morsus sanant. In ulceribus, partim pus educentibus in his, quæ laborant inflammatione, utendū est, ut tetrapharmaco: in fordidis uero, repurgantibus, ut uiridi diluto: in cauis, replētibus: in carne super crescenti, reprimentibus, ut quæ ex mysi & squama conficiuntur, in uehementi quoq; sanguinis fluore sistendo non parum efficacibus. Adurentibus interim in diducēdis partibus, ac aperitūdis utimur, uelut in abscessuum comprehensione, interim in palpebris cum summa cutis relaxatur, & procidit, uice cōsutionis pilis mediocriter ablatis partem relaxatum retrahimus. Aliquando in capitis morbo difficillimo, quem κεφαλαίαν uocant, per altas crustas humores in exteriorē educentes assumimus. Adurentium materia lixiuū, calx uiua, auripigmentum, sandaracha, fæcula, atq; id genus alia. Ex cephalicis medicamentis aliud ad achoras, capitis furfures, & eruptio-

C nes ualeat: alia ad capitis dolorem, & heterocraniam. Aurium remedia partim earum inflammationem, partim exulcerationem, partim influxum, partim difficilem auditum, partim contusionē iuuant. Oculorum pharmaca septem species habent. Quædam enim ad incipientes lippitudines, ut quæ diagauciu, & diacrocu, & cynaria inscribūtur. Quædam ad eorum dispositiones, ut nardina, & theodotia appellata. Quædam ad fluorem, quæ ex thure, acacia, & erice fructu componuntur. Quædam ad scabritiem, ut ex metallis confecta, nempe isto ære, chalcitide, & æris squama. Quinta ad siccam lippitudinem, & scabiosam, collyriorum species est, tum siccorū oxydericon, id est uisum exacuentium, eiusdem cum superioribus materiæ. Sexta humidorum, quæ ad suffusiones inscribūtur, ex fellis generibus hyanæq; potissimum composita. Septima cataplasmatum species in oculis uehementer inflammatis & circumdolentibus usurpatur, ex meliloto, passo, fenugræco similibusq; materijs confecta. Oblinimus palpebras initio, repellentibus, & cuiusmodi sunt dia glauciu, & dia crocu medicamina, etiam solo ipso glaucio. Interius affectis exiccantia, lenientiaq; admouemus, ut nardina theodotia. Quæ uero ad colorem decoremq; formæ cōcilian-dum illinuntur, qualia hedycroo & sandyce constituuntur, non medicinæ, sed artis cultui ac elegantia dicata sunt propria.

D De oculorum affectibus. Cap. 15.

Affectus, qui totum oculū exercēt, hi sunt taraxis. i. perturbatio, lippitudo, epiphora, inflammatio, œdema, inflatio, scirrhosis, chymosis, carbunculus, strabismus, cōuulsio, palpitatio, myopiasis, gangræna, putredo, ulcus, fistula, xerophthalmia, psorophthalmia, sclerophthalmia, procidentia, atrophia. In membranis hi consistunt, ruptura, exesio, distentio, anastomosis, crassities, densitas, corrugatio, extensio, raritas. Interiores palpebrarum partes infestant, aspretudo, crassities, sycosis, tylosis, durities, chalazosis, pladarotes, mydesis, sarcosis, poriasis. Exteriores hydatides, lithiasis, phtiriasis, meliceris, gangræna, phymata, colobomata. In corona crithe, posthia, trichiasis, distichia, tristichia, phalangosis, pyrosis, ptilosis, psoriasis, madarotes, paraly-sis. Communes toti palpebræ, paraly-sis, procidentia, diuersio. Angulis hi accidunt, encanthis, ancyle, pterygion, rhœas, prosphylis. Extrinsecus, agilops, anchilops. Album affligunt, psydracion ulcus, hyposphagma, abscessus chemosis, cœloma, pterygion, phacosis, icterus, tofus. Iridem oculi infestant, argemon, nephelion, achlys, epicauma, ulcus, bothrion, phlyctis, myocephalon, staphyloma, hypopyon, ruptura, cicatrix, leucoma, cœloma, proptoma, unguis, pyosis, exulceratio. In pupilla esse solent, suffusio, glaucosis, mydriasis, phthisis, synchylis, platycoria-sis, amaurosis, rhytidosis, nyctalops, hemeralops, myopiasis, diapy-sis. Meatus exercent, aporexis,

paremptosis, symptosis, anthracosis. Taraxis igitur seu perturbatio, est, cum oculus leuiter ac **E** mediocriter comotus tandem rubicundior euadit. Lippitudo, cum album rubescit, & palpebræ attolluntur, cum dolore conuient, ægreq; manus admotas ferunt. Inflammatione oculorum rubor intenditur, palpebræ magis eleuatur, ut nō nisi magno negotio queas suspicere. Epiphora, tū inflammationis magnæ uniuerso illatæ corpori, tum largorum fluorum commune nomen est. Proprie uero de oculis refert, ubi cū maxima inflammatione, etiā humoris copia influxerit. Oedema nominant, cū eleuatus apparet oculus, & colorem amisit, uel etiā ægre mouetur: interim album quoq; supra nigrum attollitur. Inflatio dicitur, cum subito tumescens oculus decolor fit, exuperante pituita: ut plerunq; senibus æstate potissimum solet accidere. Scirrhosis ex inflammationis diuturnæ uehementia oritur, carne crescente, & subliuida. Profluuiū laborat oculus, cum non solū rubet, sed multas quoq; lachrymas excernit. Xerophthalmia, id est arida lippitudo, cū anguli ulcera & aspretudinē, pruritusq; contraxerunt, palpebræ rubent, & lachryma salsa & nitrosa profluit. Sclerophthalmia, quasi dicas duram lippitudinem, est, cum palpebræ duriores sunt, oculi rubent, & cum difficultate quadam mouentur. Proptosis. i. procidentia, appellatur, ubi cum inflammatione moti sede sua procidunt. Atrophiam nomināt, cum ex longa imbecillitate, uel alia quadā latente causa paululum quasi propulsus, deinde cauatus ad radicē cum dolore minor euadit, obscureq; aut nihil omnino uidet. Asperæ dicuntur palpebræ, cum euersæ sanguinolentiores **F** apparent, & magis asperæ carnosæq; & fici acinis similes. Crassæ uocantur, ubi euersæ duriores ijs, qui naturaliter se habent, existunt, & scabris magis carnosæ. Sycosis, id est ficus, accidit, cum in palpebrarum parte interiore carni quid simile enatum fuerit, quod emineat, & oculus totus ægre moueatur. Tylosis, id est callus, nuncupatur, cum in palpebris aspretudines ex senectute crassiores, albidiores, & parum sensiles extiterint, eoq; minus deteri possunt. Scleriasis. i. duricies, est tumor palpebræ cum rubore doloreq; difficulter aboletur. durat magis, q̄ inflammatio. Chalazia uel chalazosis orbicularia quadam intra palpebras tubercula sunt circumscripta. nomen à similitudine grandinis acceperūt. Pladarotes, sunt mollia ueluti corpora uetusta et maxime decolora, palpebrarū parte interna nondum aspredinē habentia. propterea *πλαδαρότης* à Græcis uocatur. Mydesis cōmune nomen est partium, quæ ex putrefactione corrumpuntur. Palpebræ quoq; eadē laborant, ubi & tumentiores apparent, & assidue diffluunt, adipem paulo copiosiorē sortitæ. Crithe, quæ & posthia, dicitur, cū parte interna palpebrarum iuxta corollas suppuratum oblongum, figura hordeo simile fit, unde appellatum est. Generantur alia quoq; maiora in medijs palpebris eodem appellata nomine. Lithiasis, albida quadā & crassa, callis lapillisq; similia, quæ oculū pun **G** gunt, in palpebris retorsis ostēdit. Phthiriasim uocamus, cū palpebrarū pilos multi lati exiguiq; pediculi infestāt. Diritriachisi laborat oculus, cū pilis naturalibus alijs subnascentes ipsum pungunt fluoremq; concitant. Ptilosis est cū alijs quidem subnascentur, naturales autē collapsi fractiq; stimulant ac pungunt. Phalangosis, cū pilorū subnascentiū duplex triplexue acies, uel in superiore, uel in inferiore palpebra prouenit. Resolutus oculus dicit, ubi naturali motu destitutus, neq; sursum neq; deorsum intendi possit, uerum sentiendi expers consistat. frequēter hoc malū partibus etiam oculi accidit. Ectropion seu diuersio, palpebrarū uitiū est, cū exulceratis oculis plus extra ferunt. Encanthis, ubi ex ulcere caro in angulis iuxta nares supercreuerit. nautæ, ac piscatores hoc uitijs peculiare habent. Vnguis uero, est in albo oculi præter modum exulcerato carneq; oppleto membranula tenuis & neruosa: quæ oriens ab angulorū aliquo ad nigrum & uerticem eius peruenit. Rhœas, cū angulus ex latēte quadā causa secesserit, aut praua curatione sublatus fuerit, ut lachrymas continere non amplius possit, sed humorē dimittat. Cohærescunt palpebræ cum albo oculi, uel nigro ex ulceratione. Et, si nigro cohæreant, uisus omnino prohibetur: sin albo, minus. Græci hoc malum *ἀγκύλωσις* appellant. Ægilops, uel anchilops, abscessus quidam est ad angulū, qui naribus propior est, pus continens, quod erumpens aut os exedit, aut ad angulum, uel usq; ad na **H** res destillat. Pfydracion cōmuni uocabulo circa corpus totum & circa album oculi fit. Est autem uelut pustula in summo rubicundum. Ulcus oritur in albo uel nigro, cum summa cuticula, quam Græci *επιτερις* nominant, diuisa Lunæ figuram, uel rotundam, cauam, similis coloris, uel subalbidi acceperit. Hyposphagma uocant, cū uasis in prima tunica ruptis ab ictu, sanguis intra albi spaciū & interiorē tunicā coierit, atq; oculi color statim cruentus, post liuidus existat. Chemosis ex inflammatione uehementiore utraq; palpebras in exteriorē partem detorquet, ne totum oculum contegant. Proprie uero Chemosis dicitur, cum album utraq; iridis parte inflammatione afficitur, iuxta irim autē cauum hiatarum similitudine apparet. Cœlomata sunt rotunda & caua ulcera, bothrijs latiora, quæ in oculis circa irim nascuntur. Argemon, in iridis circulo, uel in albo, interdū etiam nigro, ulcus rotundum & subalbidum oritur. Nephelion, summę cutis ulcus paulo maius argemo, & albidū. Achlys, est circa totū nigrū à superficiali ulceratione cicatricula tenuissima, aerī caliginoso assimilis. Epicauma, cum in superficie cuticula adusta ulcus contraxerit, uel etiam paulo profundior fiat ex epiphora magna innascens. Bothrion, est ulcus cauum, purum, angustum, puncturis rotundis simile, ulcusculo altius. Phlyctænam uocant, ubi per exulcerationem, uel etiam sine hac exterior ceratoidis tunicæ mēbrana tenuissima & sublimis elata, intra se